



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

157. fer. 4. Supplex libellus ad Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 3. Dom. 5. post Pascha. 273

erit, ut ei non sit aliquid addendum. Quidquid
petitur ad hoc gaudium consequendum pertinens,
hoc in Christi nomine petendum, quidquid au-
tem aliud petitur, nihil petitur: Quia in tanta
rei comparatione nihil est. Ita August. in cap.
16. Joann.

Cons. 3. Ad tria reduci posse, quæcunque
petuntur. 1. Est nihil, id est, peccaminosa, &
hæc petere non licet. 2. Quæ ad gratiam, &
gloriam pertinent, & hæc unicè & absolutè
petenda. 3. Indifferentia: & hæc sub condi-
tione petenda: quia nescimus, quid nobis
expediat. Non impetrant aliqui, quia non pe-
tunt expedientia, vel quia indigni sunt, vel quia
pro indignis, inquit Chrysost. iterabo petiti-
onem Christi ad Patrem, Joan. 17. ut non
sim de hoc mundo, ut server à malo, ut san-
ctificer in veritate, ut unum sim cum Deo
per gratiam, ut consummer in unum pes
gloriam.

MEDITATIO CLVII.

Feria 4. Domin. 5. post Pascha.

Supplex libellus ad Christum.

Audiam Dominum orantem pro suis, ut
unum sint Fide, Charitate, Pace, Ser-
mone, Sæctitate, bonâ Voluntate, ita Interline
in c. 17. Joan. Nil ditius bonâ voluntate, ait
Guarricus Serm. 4. Nat. D. Petam intelligere,

M s

quomodo

274 *Feria 4. Dom. 5. post Pascha.*

quomodo unicè opus sit bonâ voluntate,
eâmq; consequi.

Conf. 1. Tam magnam esse libertatem
hominis, ut non possit ad bonum cogi, nec
à dæmone, quo nihil pejus, & fortius, sicut
in Jobo patet. nec à Christo Deo, & Domino,
quo nihil melius, nec potentius, ut, apparet
in Juda, & Judæis. Causam dat Chrys. in il-
lud: *Oportet hereses esse. Deus non adigit vi,
neque cogit invitos: & ratio est, quia liberali-
tas virtus ab amore procedens fuisset ab-
lata: si Christus cogeret: quod enim quis
debet: non dicitur facere libenter.*

Conf. 2. Quomodo Augustinus lib. 1. de
Civ. Dei c. 6. & 7. quærat causam efficien-
tem volûntatis malæ, nec inveniat, nisi ipsam
voluntatem deficientem: nam quid est, quod
duo æqualiter affecti animo, & corpore, vi-
deant aliquid amabile, quo viso, unus eorû
ad illicitum moveatur, alter in voluntate
pudica stabilis perseveret? ambos enim ani-
mo & corpore æqualiter affectos prædixi-
mus: an alterum occulta maligni Spiritus
suggestio tentatum vicit? sed ponimus æqua-
liter utrumque tentatum. Quid aliud appa-
ret, nisi unum voluisse alterum à Charitate
deficere noluisse: sicut igitur tenebras &
silentium non in specie, sed in speciei priva-
tione noscimus, sic malam voluntatem à de-
fectione

Feria 5. Dom. 5. post Pascha. 175

fectione voluntaria oriri fatemur. Quod idem docet Cbrysoftomus loco citato. In nobis est gratiam Dei conservare, vel destruer. 1. Si coelestia contemplamur. 2. Si ad secularia declinamur

Conf. 3. Non posse melius me petere à Christo, quàm bonam voluntatem, pro qua supplicem libellum formabo ex capite 17. Joan. ubi idem Christus petit pro nobis.

MEDITATIO CLVIII.

Feria 5. Dominicæ 5. post Pascha,

De Ascensione Domini.

Videbo Dominum in Mōte Oliveti quinta Maij Angelis & hominibus inspectantibus plus quàm quingentis, 1. ad Cor. 15. datâ benedictione facie ad occidentem versâ teste Adrichomio in meridie sublevatum, & vi propriâ in coelos illatum, ubi partem ovium dextram primus Agnus obtinet, ut ait D. Ambros. serm. 60. Petam agnoscere gloriam consummatam Christi, eamque cum immaculato grege, visione consequi.

Conf. 1. Verba D. August. in Pl. 54. *Vespere, manè, & meridie narrabo: Vespere Dominus in Cruce, manè in Resurrectione, meridie in Ascensione, & narrabo Vespere patientiam Morientis, annuntiabo manè vitam Resurgentis, orabo ut exaudias meridie sedens ad dexte-*

M 6 rano